



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Retorsiones in Adamum, dæmonem malum, & alios à Deo factæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Ita falsa Dea fingitur puniuisse veros conuitiatores, tanis merito in ripa, aut aqua identidem coaxantibus comparandos.

Verus Deus conuicia, sine conuicio, in authores suos refundit. Mirè permulsi primos parentes nostros illa cantilena: *Eritis sicut Di, scientes bonum & malum*. Præuaricati sunt; & tunicis pelliceis induti audierunt: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Insignis hæc ironia & sarcasmus erat, quo indicatum est, quàm dissimilis factus esset, qui Dei similitudinem affectarat. Neque enim immortalis, & corpore carens Deus pelliceis tunicis indiget. At talibus oportebat indui peccatorem, inquit Origenes, *qua esset mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius, qua ex carnis corruptione veniebat, iudicium*. Itaque, qui volebant esse, vt Dij, quantum erubuerunt, cum ad nuditatem & turpitudinem suam tegendam, ad frigora arcenda, ad agendam poenitentiam, pellibus, quasi cilicio, induti audire cogerentur: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est? Quin & ipsum malum suggestorem, vaferrimum dæmonem, tamquam illusorem, illudit sapius diuinus artifex; quem Dauid ita allocutus est: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: nimirum, Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem. Numquam enim conuenientius vincitur, ait S. Gregorius, quàm cum eius versutia piâ fraude superatur*. Ergo ars vt artem falleret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur, passus est Christus se ad Crucem postulari. Hoc promiserat per Oseam dicens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Mirè enim promordit versipellem illum, se instigasse populum, vt clamaret: *Crucifige, crucifige*, postquam expertus est, crucem in gloriam Christo; sibi autem in ignominiam cessisse, atque in interitum regni. *Quodq; mirabile est, ait S. Chrysostomus, videbis mortem morte peremptam; & maledictum esse maledicto extinctum; & per qua diabolus iam antè maximè valebat, per ea ipsa tyrannidem illius esse destructam*. Vt autem verbo crucis, ita & diuinæ Scripturæ verbis retortis, hostem Stygium percussit Seruator. Volebat ei persuadere Satan, vt se de pinnaculo templi mitteret deorsum: quod vt persuaderet, dixit: *Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidē pedem*

V.
Gen. 3. 5.
Ibid. v. 22.
Orig. hom. 6. in Leuit.
Psal. 103.
Apoc. 12.
S. Gregor. lib 5 in primum Reg.
Osee. 13. 14.
Ioan. 19. 6.
Matth. 4. 6.



pedem tuum. Vt tentatorem hunc reijceret, ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Ac redeuntem rursus Scripturæ verbis percussit. Ita à se reiecit etiam Phariseos dicentes: *Hic non eicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemorum*. Retorsit enim calumniam ipsidem verbis inquiring: *Si ego in Beelzebub eicio daemones, filij vestri in quo eiciunt? Ideò ipsi iudici vestri erunt.* Ita alibi dixit: *Ex ore tuo te iudico, serue nequam, scilicet, quòd ego homo austerus sum, tollens quòd non posui, & metens, quòd non seminavi, &c.*

VI.

Et quare Deus homines suo ipsorum iudicio non damnaret, verbisque proprijs conuinceret, cum hæc sit vtitatissima, inter ipsosmet homines consuetudo? Thrasillus Cynicus ab Antigono rege drachmam petiit, vt scribit Seneca. *At regi, inquit Antigonus, hoc dare non conuenit.* Illo subiiciente, *Da igitur mihi talentum: Atqui,* respondit sapientissimus Princeps, *hoc accipere non decet Cynicum.* Potuisset vertere argumentum Thrasillus ac dicere, seu drachmam, seu talentum dederis, non exerrabis. Si drachmam dederis, mihi conueniet; si talentum, tibi. Sic verbis velut datatim luditur. Verbis pariter ac re ipsa lusit homo Scythia. In horrescente celo cum aliquando copiosa nix cecidisset, interrogauit rex Scytharum quemdam nudum perseverantem, *Anne frigeret?* qui è contrario regem interrogauit. *Rigeat ne ipsi frons?* cumq; ille negasset: *Ergo, ait, ne ego quidem rigeo, qui quantus quantus sum, frons sum.* Hæc amicè, & iocosè respondentur. Aculeatè interrogata, responsionem itidem merentur aculeatam; vt apud Ciceronem, cum quidam obuium haberet Eunuchum, aut virum sine v'serba, salutato dixit: *Quando venis ad me cum tua colu?* Cui mox respondit spado: *Equidem mater mea mihi edixit, ad infames ne exirem.* Hæc permittit Orbis Gubernator, vt metu acerbioris responsi, omittantur acerbæ interrogationes. Quamquam probæ mentis homines, cum D. Paulo dicunt: *Si quis autem videtur contentiosus esse, Nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia DEI.* Quam ergo consuetudinem habent Paulini imitatores? *1. Cor. 4. 12. Maledicimur, & benedicimus.* Hoc idem nos facere præcipit, ad Romanos scribens: *Benedicite, & nolite maledicere.* Quod præceptum Christiano tantò magis conuenit; quia etiam Cato cuiusdam probis

Matth. 12. 4.
Luc. 11. 15

Luc. 19. 22.

Seneca lib. 2.
de benefic. 17.

Ælian. lib. 7.
var. hist. c. 6.

Cic. lib. 2. de
orat.

1. Cor. 11. 16.

1. Cor. 4. 12.

Rom. 12. 14.